JOSEPHI CANTINI ... INTERPRETATIO AD CANONEM QUOD PROPOSUISTI

Giuseppe Cantini

JOSEPHI CANTINI

IN PISANA ACADEMIA ANTECESSORIS

INTERPRETATIO

AD CANONEM

QUOD PROPOSUISTI

PISIS

APUD FRANCISCUM PIERACCINI

MDCCCXX.

È ridicola cosa il raccomandarsi alla bene
volenza del pubblico; conviene meritarsela
Al Lett. = Il Caffè =

LECTORI

Cum ea sit hominum conditio et natura, ut ex iis fere omnes vel ingenio vel voluntate dissimiles tam varie in rebus omnibus opinentur, mirum certe non est in iis etiam gravissimis, quae ad Religionem spectant controversiis, quaeque ab Ecclesia extra omnem dubitationem non sunt positae, clarissimos viros summa nonnunquam dissensione certasse. At mirandum profecto est maxime, quod non-

nulli sacrorum canonum interpretes, pravo magis ducti consilio quam Religione moniti, in Romanorum Pontificum constitutionibus exquirerent interdum, an esset occasio Pontificiae dignitatis funditus evertendae: idque praecipue accidisse in canone, quem interpretandum suscepi, aegre quidem semper tuli. Nullus enim eorum pene invenitur, qui illum in medium non proferat, neque in eo niti contendat ut suadeat, Pontificem in rebus fidei, morumque solemniter definiendis in errorem labi posse aliquando. Itaque cum ego ipsum diu,

multumque diligenter perpendissem, mihi tandem compertum fuit, adversariorum arma leviora nimis omni prorsus carere vi. Hac de causa, veritatis tantum amore incitatus hoc interpretationis specimen in lucem edere curavi, tibique offero, optime Lector. Quod vero a te peto, atque efflagito, cum hanc meam lucubrationem legas, ne te offendat, neque retrahat quidquid tibi subito minime compertum videbitur; sed omnia ut attente consideres diligenterque, oro et obtestor; et iterum legas quod primum non tibi suadeat. Quid est enim sa-

pientis gravitate, et prudentia tam indignum, quam ea, quae non satis explorata sint, et cognita asperius rejicere, et inconsulte de iis proferre judicium? Indulgentiam vero tuam erga me vehementer exopto, et expecto; omni enim cura, et labore quidem ad verum investigandum, et inveniendum animus se convertit; attamen si quis humani erroris me tenuit lapsus, id praeter voluntatem velim existimes, quae me Apostolicae Sedis doctrinae, et judicio addictissimum, et observantissimum semper effecit, et esse profiteor.

INDEX

PRAEFATIO

Explorata res est jam usque ab Apostolicis ducta temporibus, eaque pluribus Scripturæ locis et universali Ecclesiæ firmata consensu, Christum Jesum præfinitam regiminis rationem fidelium societati per semetipsum tribuisse. In iis autem perniciosus est error qui existimant, hoc tantum per Apostolos evenisse, cum ex eo tunc consequi posset, ne Ecclesiam quidem ipsam fuisse a Christo institutam.

Apostoli non ut supremi legumlatores, sed ut dispensatores mysteriorum Dei a Christo mandatam exercuerunt jurisdictionem; et cum novæ legis propagationi per universum

A

Orbem operam darent, statis per Provincias Episcoporum sedibus, ut in iis eorum successores perpetuo forent, Christi doctrinam Episcopis tradiderunt, ut ea semper maneret quo cœperat statu, neque id quod libuisset liceret; sed eo tantum potestas Episcoporum intendit, ut dogmata firmiter custodirent, eaque declararent; mores hominum ad naturales, divinasque leges componerent, et Ecclesiæ disciplinam fidelium utilitati pro temporum, locorumque ratione accommodarent.

Si igitur Christus pro summo legumlatore se gessit, nullum quidem in Ecclesia statuere potuit regimen, quod providissima eius mente non esset dignissimum, neque universo societatis bono magis conveniret. Quid autem

præstantius, quid optabilius, quid Catholico homini utilius, quam ut unius suprema spirituali potestate omnia in Christiana Republica regerentur? Nonne Christus Petro, plusquam cæteris Apostolis contulit potestatis? Nonne perspicua sunt illa, quæ honorabilibus verbis ab Evangelicis Scriptoribus commemorantur, quibus maxima Petri in fideles omnes auctoritas designatur? Quæ locutus est Christus Apostolis de potestate remittendi peccata, ligandi, et solvendi, de potestate docendi, et similia, ea quidem verba iis omnibus communia fuere. Sed tantum Petro dixit: *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*; itemque: *dabo tibi claves Regni Cœlorum*; tantum Petro: *pasce*

oves meas ec. oravi pro te, ut non deficiat fides tua .

Hæc igitur, quæ maxima Petro fuit potestas, ut eadem esset eiusdem successoribus oportuit. Nulla enim Ecclesiæ perpetuitas usque ad consummationem sæculi, ubi nulla adesset Pastorum successio; et si Christus, ut in cæteros transfunderetur Episcopos Apostolorum voluit ordinaria potestas, cur illam Petri, ut haberent eius successores Romani Pontifices non voluisset? Hæc quidem in Petro incepit, sed in Petro non desiit, ut nonnulli Apostolicæ Sedi infensi homines dictitarunt; et hoc tam verum, ut nulla egeat Patrum auctoritate.

Nec mirum quod idipsum noverint, et ipse Grotius scribens (1): *Ordo sive*

in partibus, sive in toto, continetur principatu quodam, sive Præpositi unitate. Et hoc est quod in Petro nos Christus docuit ... Hic ordo in Ecclesia semper manere debet, quia semper manet caussa, idest periculum a schismate. Et Montesqieu (2): *Lorsque la Religion a beaucoup des Ministres, il est naturel, qu' ils ayent un Chef, et que le Pontificat y soit etabli.* Leibnitium adde (3), et huius generis alios. Quadere si hæc Petri potestas, in cæteros Pontifices transiit, opus erat, ut in eos etiam eadem transiret doctrinæ firmitas, et fides, eadem

(1) *Vot. pro pac. Ecclesiæ artic:* 7.
(2) *Expr: des Loy. Lib.* 25. *Chap.* 8.
(3) *Ad Joan. Fabric. T.* 1. *ep. p.* 55. *Edit. Lips.* 1734.

qua præditus erat Petrus virtute. Cumque Petrus, qui ab ipsomet Christo veritatem didicerat, ut Ecclesiæ supremus Pastor, et Doctor, nullo posset in errore versari, eadem lege teneri debuerunt Romani Pontifices, in quibus nunquam deficeret fides, sicuti in Petro non defuit. Quidnam si defuisset? Nulla tunc in Ecclesia unitas, sed circumferri oporteret omni vento doctrinæ. Deficiente enim Spiritu Dei afflante Christi Vicarios, ii quidem humanæ naturæ imbecillitati adeo essent devincti, ut cum hominum opinio tam multiplex sit, quam sunt homines ipsi, tot esse potuissent in Ecclesia doctrinæ, quot essent Romani Pontifices. Sed nihil dementius! Si contraria inter se ponas dogmata, nulla veritas: si nulla

veritas, nulla unitas: si nulla unitas, nulla Ecclesia.

Cumque Petri successores ad Ecclesiam in veritate continendam Christus reliquisset, facile colligitur, quam sit decens, imo quam urgens, ut a Romana Ecclesia omnis erroris suspicio penitus avertatur. Quonam moerore conspicimus, quam multi scelesti homines usque ab initio per omnem ætatem, ex omni Christiani orbis parte, illam quovis machinarum genere quatientes, ad interpretationis subtilitatem confugerint, nunc sacrarum Scripturarum sensus, nunc Patrum sententias, nunc Pontificum sanctissimas constitutiones detorquendo? Quæ scriptorum congeries, quot arma, quot iniuriæ, quot mala! Et quamvis ipso rerum ex-

perimento comperimus, Christi vaticinia de Petro, eiusque Successoribus, procellarum, ventorumque impetu victo, certissime impleri, tamen inimicorum malitia minime conquiescit.

Ea mihi quidem non fuit mens, tot hæreticorum in Apostolicam Sedem propulsare commenta, cum ea jam delevit dies; nec de eiusdem infallibilitate disserere, cum hoc tam præclarissimi viri optime effecerint, ut ego sim ineptus, si idem velim ostendere; sed eo labor tantum intendit, ut illud evincam, quod ex Canone *Quod proposuisti* minime inferri possit, Gregorium II. Pontificem a veritate Fidei deflexisse, ideoque Romanos Pontifices, in definiendis fidei controversiis, posse errore teneri, quod falso contendit

Van-Espenius, Gratiani dictis nixus; sed eiusdem, et qui eum sectantur, rationes pro viribus refellam. Est enim periculum ne aliquibus præsertim Van-Espenii sententiis susceptis, fraude obligemur. Ille quidem studio Pontificiæ infallibilitati detrahendi, aliquando mihi videtur Pontificem tollere; qua de re paulo accuratius disputandum est.

CAPUT I.

Canon *Quod Proposuisti*

Gregorius II. Romanus Pontifex Sancto Bonifacio Episcopo ita rescripsit. (Caus. 32. qu. 7.).

Quod proposuisti, si mulier infirmitate correpta, non valuerit debitum viro reddere, quid eius faciat jugalis? Bonum esset si sic permaneret, ut abstinentiæ vacaret. Sed quia hoc magnorum est, ille, qui se non poterit continere, nubat

magis; non tamen subsidii opem subtrahat ab illa, quam infirmitas præpedit, et non detestabilis culpa excludit.

§. I.

Historica expositio canonis.

Potissima quidem ea est interpretationis regula omnia expendere, in quibus occasio legis versatur, de qua fit interpretatio; et ideo rationem temporum, vel locorum, vel populorum sollicite intueamur oportet, cum illud quod bono civium expedit hodie, non semper expediat. Apte igitur historiam canonis præmittendam puto.

Quamvis et octavo ineunte sæculo, eadem, quæ ab initio doctrinæ veritas in Ecclesia servaretur, eo tamen res perducta fuit, ut Christianorum pietas ab antiquo Religionis studio deflecteret, rerum publicarum perturbationis causa. Plures enim ex iis, qui Orientis fruebantur imperio, vel hæresim profitebantur, vel hæreticis fa-

vere studebant. Galliarum, et Hispaniæ Principes, quo arma contulerant Saraceni, cum se in omne genus scelerum, et flagitiorum ingurgitassent, maximæ instabant subiectis populis calamitates. In pluribus Germaniæ ditionibus, fictis Numinibus etiam tunc divini honores adhibebantur. Nec malis vacabat Italia. Illis enim turbulentissimis, in quibus inciderant temporibus, late vexabantur Pontifices. At in Angliæ, et Scotiæ regionibus adeo Christi fides florebat, ut merito Sanctorum patria dicerentur!

Huius gentis inter tot viros pietate, et Religione præstantes, notissimus fuit Bonifacius, qui anno Christi septingentesimo decimo nono Romam petiit, et a Gregorio II. Episcopus dictus, Apostolatu ad Gentes honestatus fuit. Is quidem ad Evangelii prædicationem inter Germaniæ populos tunc Idola colentes adeo intendit, eiusque

missionis tanta fuit admiratio, ut ipse Germaniæ Apostolus mereretur appellari. His tam barbaris, et tot ad Christi fidem convolantibus, facillime intelligi potest nonnulla incidisse, in quibus vel tuta in dubiis adhiberetur sententia, eaque exciperetur disciplina, quæ ad Romanam conformaret Germaniæ Ecclesias, vel etiam eæ haberentur dispensationes, quæ ad amplectendam Christi fidem magis magisque sternerent viam. Revera id accidit. Et anno septingentesimo vigesimo sexto, misit Romam Bonifacius Denualem presbyterum, deditque ei literas ad eumdem Gregorium Pontificem, a quo in suis dubitationibus, de consilio quod caperet inquirebat. Dixit Pontifex ad singula, et adhuc ex toto extant; quod autem scripsit Bonifacius, ut extaret etiam optabile foret!

Ex iis Pontificiis literis, quæ integræ a clarissimo Baronio referuntur,

depromptus fuit canon *Quod proposuisti*, quem Gratianus, aliique Gregorio III. falso adscribunt. Is est quem nos supra retulimus.

§. II.

Difficultas huius canonis interpretandi.

Huius canonis interpretatio, ea qua conditus est ratione, maxima difficultate laborat; nam in eo Gregorius II. loqui videtur de impotentia, quæ matrimonio supervenerat; et tunc occurritur Pontifici ab eruditis canonum cultoribus quærentibus, satisne æque ipse statuerit, qui illud matrimonium solvi potuisse dixerit; nam duo sane ex hoc canone emergunt: primum de matrimonio agi jam inito, quod patet ex verbis *mulier, viro, jugalis*, vel ut alii legunt *conjugalis*, itemque ex illis *bo-*

num esset si sic permaneret, et obligatione de alimentis mulieri præstandis, *non tamen subsidii opem subtrahat ab illa*; alterum quod ex eo, quo Pontifex usus est verbo, nempe *correpta*, inferri commode potest, impotentiam inito vinculo supervenisse.

His omnibus a Gratiano perpensis, cum nesciret quo suam flecteret sententiam, omnium pessimo adhæsit consilio, Pontificem insimulans quod errasset, monens post relatum canonem: *Illud Gregorii sacris canonibus, imo Evangelicæ, et Apostolicæ doctrinæ penitus invenitur adversum*.

At plures sacrorum canonum interpretes a Gratiano dissentientes, in varias abiere sententias, ut ab errore Summum Pontificem Gregorium vindicarent, ut par est. Inter has interpretationes, quæ mihi probabiliores videntur statuam quantum potero, et præsertim Gratiani non minus,

quam Van-Espenii illum callide sequuti opiniones refellam, cum a veritate, et Religione dissideant plurimum. Et si eo res perducatur, ut Pontificem bene, sapienterque dixisse ostendam, me voti compotem facturum existimo. Sed ad instituta pergamus.

§. III.

Variæ Interpretum opiniones.

Sunt nonnulli, et quidem doctissimi viri, qui huius canonis verba intelligenda esse arbitrantur de simplicibus sponsalibus, quæ ad solvenda, peteretur a Pontifice potestas. Sed quis est, cui illud non sit perspicuum, quod hæc interpretatio verbis canonis neutiquam conveniat? Nonne loquitur de conjugio, et conjugali debito, quod reddi non posset? Quæ obligatio obsequendi viro in re conjugali, si de spon-

salibus tantum ageretur? Nonne magna rerum conversio tribuit a sponsalibus recedendi facultatem? Minime tunc opus fuisset Pontificem consulere. Jam vero ex iis verbis, *non tamen subsidii opem subtrahat ab illa*, plane colligitur agi de uxore, non de sponsa, cui nullum a lege jus ad alimenta tribuitur. Ergo opinio hæc omnino est reiicienda.

Alii, inter quos clarissimus Mansius (1), sibi fingunt, fœminam antequam matrimonio alligaretur, corporis impotentia laborasse (2). Hæc doctissi-

(1) *Adnot. ad Histor. Eccl. Natal. Alexandri Saec. VIII. Cap.* 1. *art.* 4.

(2) Bossuetus *in defensione historiae variationum Ecclesiarum Protestantium, contra Basnagium, Tom.* 4. §. 62. intelligendum putat hunc canonem de impotentia matrimonium antecedente, et constanter affirmat Pontificem non errasse, plurimorum Catholicorum doctrina præstantium inhærens sententiæ. Mirandum vero est, eumdem clarissimum auctorem (si tamen eius sit opus) in *defensione de-*

morum hominum sententia improbanda certe non est: attamen quo nam modo sibi hoc suadere queat aliquis? Poterant ne Gregorius, et Bonifacius ignorare, nullum hac in specie vinculum extitisse? Quæ ergo difficultas ad alias convolandi nuptias? Quæ Pontifici molestia, ut hoc sineret?

Probabilior iis, quas hucusque diximus interpretationibus, forsitan alicui videretur eorum opinio, qui asserunt, hoc in canone agi de Matrimo-

clarationis Cleri Gallicani anni 1682, *part.* 2. *Lib.* 14. *Cap.* 38. contrariam tenere sententiam; cum ex illis verbis, *mulier infirmitate correpta*, aperte disignari contendit, coniugio jam inito infirmitatem supervenientem, et Gregorium in errorem fuisse prolapsum. Profecto, his in locis Bossuetum sibi minime cohærere manifestum est; nisi mavis dicere, cum multis Theologis, opus illud *defensionis declarationis Cleri Gallicani*, esse, velut illegitimum, a Bossueto abjudicandum. Etenim de tanto viro nefas est dicere, docuisse contraria.

nio rato. Sed fatendum cum clarissimo Sebastiano Berardi (1) et *hanc vim facere Gregorii verbis:* Nihil enim in literis huius Pontificis, ex quo inferendum sit, matrimonium in facie Ecclesiæ primo fuisse initum, vel habitum baptismate firmum, ratumque tantummodo. Et propterea hoc divinando potius dicitur, quam ratione firmando. Si tamen hoc affirmes, an ne latet, posse Romanum Pontificem dispensare in matrimonio rato, ex causis gravissimis, adeoque Gregorium dispensando, suam exercuisse potestatem? Id enim inter Theologos convenit, et nonnulli Summi Pontifices recentioris ætatis optime effecerunt.

At, his omissis, ad aliam interpretationem animum convertere fas sit,

(1) In suo Opere, cui Titulus: *Gratiani canones genuini ab apocryphis discreti*, *part.* 11. *Cap.* 68. *de epistolis Gregorii II. ad Bonifacium*.

quæ commodior mihi videtur, et magis ad veritatem accedere. Sebastianus Berardi, quo nemo excellentior in Gratianei Decreti emendatione, quam paucis ab hinc annis, summo studio, et labore ipse perfecit, cum hunc canonem ad trutinam revocaret (1), statuit, Gregorium II. jus naturæ interpretando declarasse, matrimonium de quo agitur, in infidelitate contractum, ob impotentiam, quæ supervenerit, solvi potuisse, spectato tantum naturali jure. Ea doctissimi viri opinio, locupletiori expositione indigere mihi videtur.

(1) *Loco supra citato.*

CAPUT II.

Clarissimi Sebastiani Berardi, de matrimonio infidelium, juxta naturæ leges tantum spectato, interpretatio illustrata.

Minime in dubium revocandum, quin Romanus Pontifex jus habeat naturalem legem interpretandi. Ea enim præcipuum in revelatione divina tenet locum; cum eius auctor sit Deus, et tam in veteri lege, quam nova, suam voluntatem hominibus aperuerit, non modo positiva statuens præcepta, sed naturalia etiam firmans, et declarans, ut ex Decalogo, et Evangelio patet. Quamvis autem haec naturæ lex, ratione duce, percipi possit, ne tamen homines vel intellectus imbecillitate, vel voluntatis nequitia excecarentur, et eam etiam ut commodius, tuteque noscerent, sua revelatione voluit Deus

hanc etiam comprehendi. Cum igitur in revelata doctrina tam insit jus naturæ, quam positivum, utriusque interpretandi Pontificem potestatem habere plane constat. Quibus positis, ad dignoscendum utrum Pontifex Gregorius II. in canone, de quo loquimur, recte dixerit, omnis in eo versatur quæstio, ut nobis perspecti sint fines, quibus, naturali jure tantum inspecto, teneatur coniugii dissolvendi potestas; quod quidem, ut efficiam, rem totam longius repetere necesse est. Magni interest conjugii originem, naturam, institutionem inspicere; nonnulli enim de re tam firma, et notissima in pessimam opinionum varietatem discesserunt, et sanctissimam conjugii institutionem, fœdissimis consuetudinibus inquinarunt. Est jus naturæ certum, et immutabile, et in omnibus hominibus divinitus insculptum; at in ea re, tam egerunt inique homines, ut bru-

torum mores pene vincentes, usum coniugii uno libidinis jure comprehenderent, unde tot oborta populorum flagitia, et calamitates. Sed quibusnam finibus matrimonii leges naturales continentur, breviter perpendamus.

Deus Optimus Maximus providissima eius mente cum prospexisset, per peccatum hominum genus mortis imperio fore subiectum, ab initio hominis naturam ita constituit, ut eiusdem interitus minime Orbis ordini officeret, neque urgeret necessitas ubique nova corpora e limo in dies suscitandi. Fecit igitur Deus masculum et fœminam, sua benedictione crescendi, multiplicandique illis impertivit fœcunditatem, et in eorum cordibus amorem, quo ad se invicem commoverentur insinuavit, ut difficultates, et incommoda contemnentes, ad liberos procreandos a natura ipsamet propemodum cogerentur. Idque primum in ordine fuit, et

maxime necessarium, lapsis præsertim hominibus. *Per unum* enim *hominem,* ut ait D. Paulus ad Romanos (1), *peccatum intravit in Mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt*. Cum vero proni sint sensus hominis ad malum, opus fuit, ut quædam sanctissimæ leges indicerentur, quibus possent a pravitate morum avocari, bonumque utriusque consequi vitæ.

Harum igitur legum ratio, quæ naturales dicuntur, eiusmodi est, ut Deus ipse in illis facile nosceretur, ut pote quæ essent aptissimæ, ad familiæ, et societatis universæ felicitatem comparandam. Ex earum enim observantia perpetuo expectanda erat conjugum fides, et securitas, eorumque in genitos amor, et educationis studium, ut

(1) *Cap.* 5. 12.

parentum spes essent maxima, et levamen, filiorumque in parentes cultus, et pietas, ex quibus omnibus eorum deinde felicitas manaret.

Itaque duo potissimum in maris et fœminæ legitima coniunctione, natura ipsa jubente, expenduntur; unum sobolis procreatio, alterum vero parentum, filiorumque bonum. Sed hoc postremum, saltem ob educationis defectum, non obtinuissent homines, si effrenata ipsis licuisset coniunctionum uti licentia, neque inter homines, et belluas ullum esset fere discrimen, et plurimæ, et maximæ orirentur calamitates. Quæ tunc societas inter homines? Mala, et incommoda in illam irruerent, et Reipublicæ quies, et utilitas pessundaretur. Quæ quidem omnia, cum naturæ legi adversentur, quæ hominis felicitatem exposcit, opus erat ad tot mala removenda, ut maris, et fœminæ coniunctio non ab homini-

bus, sed a natura firmaretur, et perpetuitatis vinculum ei adderetur. Huic vero perpetuitati quo nam modo se homo subiiceret, nisi libera posset uti facultate eligendi, cum qua semper vitam duceret? Cumque in conjugio plura insint commoda, et onera, et vicissim officia, consensus in eo necessario requiritur. Quapropter matrimonii vis non a maris, et fœminæ carnali coniunctione pendet, sed præcipue ab utriusque consensu; etenim consensus non concubitus facit nuptias, quod Jurisconsulti fatentur.

Quæ cum ita sint, videretur mutuo coniugum consensu posse dissolvi, quod mutuo consensu initum fuit; sed aliter se res habet; matrimonium in se continet aliquid speciale, quod cum aliis hominum conventionibus non est commune. Finis enim matrimonii est, uti jam diximus, sobolis procreatio, eiusdemque optima institutio a paren-

tibus perficienda. Naturali autem lege tenentur parentes filios alere, eorum felicitati operam dare, ingenium colere, vitam regere, moresque componere ad honestatis leges, eosque, quantum in ipsis est, ad perfectam prosperitatem perducere. Hinc necesse est, ut vir et uxor mutuo se amore complectantur, vitam perpetuo simul degant, et erga filios inter se officia partiantur. Si autem a nuptiis perpetuitatem vinculi demas, quo pacto inter conjuges pax, fides, felicitas maneret? Filiorum institutio nulla esset! Quid dicam de opum jactura, familiarum confusione, rerum perturbatione, et interitu? Longum esset, singula persequi. Patet quam indecorum, et noxium foret, etiam consentientibus coniugibus a nuptiis initis recedere; quod proinde natura vetat. Est igitur cum matrimonio coniunctum vinculum aliquo modo indissolubile, etiam naturali jure.

At jus naturæ prohibet ne ob quaslibet causas, semperque hoc vinculum solvere? Si huius tantum ratio habeatur, videtur aliquas exceptiones non rejicere. Hinc ab juris naturalis interpretibus nonnullæ solutionis causæ afferuntur, de quibus non est hic locus disserendi (1).

His itaque generatim propositis, ad Gregorium II. Pontificem accedamus. Ex illius verbis ad Bonifacium sponte sua inferri posse videtur, loqui eum de impotentia coniugalis officii exercendi post matrimonium in infidelitate initum; adeoque juxta leges naturæ tantum interpretandum. Ita opinatur clarissimus Berardi.

(1) Videsis Pufendorfium, *de jur. natur. et Gent. Lib. VI. Cap.* 1. §. 21. Henricum Cocceium, *in commentar. ad Hug. Grotium Lib.* 2. *Cap.* 5. §. 9. *quaest.* 2. *in princ.* et Joannem M. Lampredium *Juris publ. univers. Theorem. Part.* 1. *Tom.* 2 *Cap.* 16. §. 7.

At in hoc rerum statu, nonne supra diximus, naturæ leges minime vetare, quominus conjugia propter nonnullas gravissimas causas solvantur? Cumque præcipuus matrimonii finis sit sobolis procreatio, quisnam dubitet, huic procreationi directe adversari non modo impotentiam, quam vocant antecedentem, sed etiam quæ matrimonio supervenerit? Quis ergo non videt, tunc naturali jure nequaquam prohiberi conjugii solutionem? At vero de hac impotentia in canone *Quod proposuisti* agebatur: *si mulier infirmitate correpta, non valuerit debitum viro reddere*, ait Pontifex. Quid igitur Gregorio obstabat, ne responderet (naturæ tantum inspecto jure) virum posse ad alias transire nuptias? Ablata enim præcipua contractus ratione, res ipsa suadere videtur penitus illum corruere. Eoque magis quod nulli extabant filii, adeoque nulla iis injuria. Nam si ex-

titissent, consultum iis certe fuisset per Pontificem, ut conjugi innoxiæ consuluit iis verbis: *non tamen subsidii opem subtrahat ab illa, quam infirmitas præpedit, et non detestabilis culpa excludit*. Ergo Gregorius leges naturales interpretando, (cum de matrimonio legitimo tantum in infidelitate contracto ageretur, juxta Berardi sententiam, quam explicandam suscepimus) sapienter, optimeque respondit. Magnum enim intercedat oportet discrimen inter matrimonia fidelium, et infidelium. Illa enim omnino unquam solvi non possunt, jure Divino positivo vetante, propter ea Evangelii verba: *quod Deus coniunxit, homo non separet*; hæc vero aliquando solvuntur. *Matrimonium infidelium*, ait D. Thomas (1), *est imperfectum, sed matrimonium*

(1) *In supplem. quæst.* 59. *art.* 2. *ad* 1.

fidelium est perfectum, et ita est firmius .... Matrimonium infidelium non est omnino firmum, et ratum, sed ratificatur per fidem Christi. Item S. Doctor inquit (1), *Infidelis matrimonium dissolubile erat, quia nunquam fuit ratum*. Gregorius vero XIII. in suis literis incipientibus, *Quoniam sæpe contingit*, affirmat: *Connubia inter infideles contracta vera quidem, non tamen adeo rata censeri, ut suadente necessitate dissolvi non possint* (2).

Et re quidem vera in infidelium conjugio non eadem, quæ in matrimonio fidelium reperitur ratio. Absoluta enim consummati matrimonii fidelium indissolubilitas a significatione maxime pendet coniunctionis Christi cum Ecclesia per Incarnationem, ut egregie

(1) *Lect.* 3. *in* 1. *ad Corinth.* 7.

(2) Vide Benedict. XIV. *de synod. Diæces. Lib.* 13. *C.* 21 *n.* 5.

explicat Natalis Alexander (1): *Matrimonium enim ante copulam significat quidem charitatem, quæ consistit in coniunctione Dei cum anima iusti, secundùm illud Apostoli*: qui adhæret Domino, unus spiritus est. *Post copulam vero significat coniunctionem Christi cum Ecclesia, quæ corpus eius mysticum est, et quam sibi desponsavit per Incarnationis mysterium*. Matrimonium autem infidelium, eamdem perfectam significationem minime habere, nemo non videt. Nonne coniugia fidelium sunt sacramenta, et illa vero infidelium ratione sacramenti carent? *Bonum nuptiarum*, ait D. Augustinus (2), *per omnes gentes, atque omnes homines in causa generandi est, et in fide castitatis; quod autem ad populum Dei*

(1) *In sua Theolog. Dogmat. et Moral. de Sacram. Matrim. Cap. 1. Art. 2.*

(2) *Lib. de bon. coniugal. Cap. 24.*

pertinet, etiam in sanctitate sacramenti, per quam nefas est, etiam repudio discedentem, alteri nubere. Quapropter fidelium matrimonia consummata penitus esse debent insolubilia; nam unionem Christi significant cum Ecclesia per Incarnationem, quæ unio indissolubilis, et perpetua est; non illa infidelium, qui non sunt Christi membra, nec in eis perfecta huiusmodi significatio haberi potest. Aliter quoad vinculi firmitatem nullum videretur esse discrimen inter ista coniugia. Et quamvis in primitiva institutione matrimonii Adam pronunciaverit indissolubilem eius nexum iis verbis: *adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una* (1), hæc tamen, ut advertit Sanchez (2), prophetando dixit de statu futuro Ecclesiæ,

(1) *Genes. Cap.* 2. 24.

(2) *De Sacram. Matrim. Lib.* 2. *Disput.* 13. *sub. num.* 7.

non de præsenti; et ad matrimonium fidelium quam maxime pertinent, de quo D. Paulus(1): *Sacramentum hoc magnum est: dico in Christo, et in Ecclesia*. Et Christus cum ad dignitatem Sacramenti evexit matrimonium in nova lege, post Adami verba absolute pronunciavit de fidelium coniugio: *itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet*. Quibus verbis firmitatem penitus insolubilem addidit matrimonii Sacramento, in Evangelica lege consummato. Mirum ergo non est si magni nominis Theologi, ut Benedictus XIV. animadvertit (2), affirmare non dubitent (3), Romanum Pontifi-

(1) *Ad Ephes.* 1. 5. 32.

(2) *De Syn. diœces Lib.* 13. *Cap.* 21. *n.* 4.

(3) Hic non agitur de solutione matrimonii infidelis, qui Christianam Religionem amplectitur. cum altera pars infidelis in infidelitate manet, nec vult habitare cum illo, sine iniuria Creatoris. De hoc nullum dubium esse

cem posse, auctoritate sua extraordinaria, in infidelitate consummatum matrimonium solvere in favorem fidei, et bonum Religionis, cum ambo infideles baptizantur, ut Navarrus docet, quem sequuntur Sanchez, et Laiman, eo præcipue nixi principio, quod matrimonium ratum fidelium est vinculum fortius matrimonio consummato infidelium. Si enim Pontificem in rato fidelium dispensare posse certum est, multo magis in consummato infidelium, id ei licere dicendum esse videtur. Qua super re, narrat idem Pontifex Benedictus XIV. (1) articulum Sacræ Congregationis discussioni fuisse propositum, et indecisum remansisse. *Quærebatur*, (sunt verba eiusdem sapien-

potest, cum D. Paulus hanc potestatem concesserit fidelibus ad fidem conversis, et praxis Ecclesiæ omnem dubitandi locum prorsus tollit. Alia igitur, et diversa est quæstio, quam supra innuimus.

(1) *De Syn. Diœc. Lib.* 6. *Cap.* 4. §. 5.

tissimi Pontificis) *an jus esset Summo Pontifici primum matrimonium in infidelitate contractum, et consummatum, suprema sua auctoritate relaxandi, veniamque concedendi coniugi* TARDIUS AD FIDEM CONVERSO, UT IN PRÆDICTIS RERUM CIRCUMSTANTIIS POSSIT CUM SECUNDA UXORE PERMANERE; (nempe quam in infidelitate duxerat, antequam primum matrimonium initum jam cum illa, quæ ad Religionem Christi venerat, esset solutum) *Opportune de hac longe utique graviori quæstione, fuit a nobis exarata dissertatio, in qua plures allegavimus doctores hanc potestatem Pontifici asserentes; sed Sacra Congregatio satius duxit a sententia ferenda se abstinere: quoniam, etiam data Pontifici potestate rescindendi prius vinculum coniugii in infidelitate contracti, nihilominus merito dubitabatur, num eæ adessent gravissi-*

mæ causæ, quæ necessariæ sunt, ut per Apostolicam dispensationem dirimatur.

Hucusque Benedictus XIV. Quæ præstantissimorum Theologorum sententia si vera sit (probabilem enim saltem esse neminem inficiari posse arbitror) quis non videt, hac de causa, potuisse Gregorium dispensare in eo infidelium matrimonio, nondum post Baptismum consummato, urgente necessitate? Et non modo interpretis naturalis juris partes agere, sed etiam Apostolica auctoritate valuisse dissolvere? Quomodocumque vero res se habeat, certum videtur, etiam in hac clarissimi viri Sebastiani Berardi interpretatione, nullo pacto Pontificem erroris argui posse, cum nullatenus suæ potestatis fines excesserit.

CAPUT III.

Interpretatio, quam Auctor proponit.

Quomodo in varias discesserint Jurisconsulti sententias, canonem de quo sermo habetur interpretantes, et inter eorum opiniones quæ probandæ, quæ rejiciendæ mihi videantur, satis hactenus explicatum arbitror. Nunc liceat mihi aliam in medium proferre interpretationem, de qua sapientum esto iudicium.

Attamen id præmonendum existimo, quod ad bene intelligenda quæ dicam, ad eam ætatem oportet nos cogitatione conferre, in qua Gregorius Bonifacio respondit, eorumque temporum rationem, populorum mores, et leges perpendere; id autem etiam ars tutissima critices exposcit. Incongruum enim nimis esset, cum ea de re haberetur di-

sputatio, judicia instituere, ope tantum, et auxilio morum, et legum, quas nunc vigere videmus, iis omnibus eorum temporum præteritis, quæ sunt cognitione dignissima. Ut omnia igitur explorata habeantur, primo accuratius est inquirendum, quæ fuerint de divortio ea ætate editæ leges, quibus Principes etiam Christiani subjectos regebant populos. Deinde, qua in divortiis indulgentia aliquando uterentnr nonnulli Ecclesiæ Pastores. Demum, an Romanæ Ecclesiæ fuerit in more aliarum Ecclesiarum consuetudines pati, cum formalis de fide deesset definitio, vel nulla generalis a Conciliis Oecumenicis constituta esset disciplina. Quæ si omnia, ut par est, diligenter expediam, hæc interpretatio facile percipietur.

§. I.

Principum Leges de Divortio.

Omnium temporum testatur historia, optimi, vel mali Principes fuerint, qui populos moderarentur, multiplices causas inventas fuisse, ut primo nuptiarum vinculo contempto, ad quas magis luberet temere homines convolarent. Nec de iis loquor, apud quos in more erat polygamia: de iis autem, qui non tam barbari, sed cultiores dicuntur. Patet mos Hebræorum; illis enim ob duritiam eorum cordis repudii libellum uxori remittere permisit Moyses; quod levissimis etiam causis facere deinde consueverunt, primigenas Dei leges, et Patrum tradita obliti. Cæteras Orientis gentes silentio prætereain, et Cretenses, et Athenienses, aliosque coniugii officia turpissimis moribus commaculantes. Quid de Romanis dicam?

Quænam in divortiis fuit, extremis Reipublicæ temporibus, effrenata licentia! Eo usque enim res perducta fuit, ut vel nulla comitante causa, licerent divortia! Imo, coniugum tantum consensus, eorumque voluntas, cupiditas, impetus erant lex, quæ divortia regebat. Criminosam, et perniciosissimam hanc divortii libertatem compescuit Constantinus Magnus, et quædam tantum crimina divortii causas constituit, quas ad alia postea pertraxere cæteri Imperatores, ut Honorius, Theodosius, et Valentinianus. Quamvis autem ab aliis, qui Romano populo dominabantur, nonnullæ fuissent sancitæ pœnæ, cum coniuges levi de causa a nuptiis discedebant, nulla tamen fuit legum Romanarum ætas, in qua omnino vetarentur divortia: quæ quidem consuetudo ad Justiniani ævum pervenit.

Nec mirum Christianos etiam Imperatores, adulterii causa, divortium per-

misisse, cum ex eo maxime oriretur, quod non recte Christi verba intelligerent, quæ sunt apud Matthæum: *qui dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, mœchatur.* Exceptionem enim, *nisi ob fornicationem*, ad matrimonii vinculum referendam esse arbitrabantur, perinde ac si illud fornicatione solveretur; minime animadvertentes, Christum Jesum de separatione non quoad vinculum, sed tantum quoad thorum, ut nunc dicitur, adulterii causa, illic fuisse loquutum. Cumque tot per sæcula ob adulterium divortia apud Romanos, aliasque gentes in more fuissent posita, an miraberis, quod Principes illi, a tam veteri populorum consuetudine, desciscere statim minime potuissent? Et si vetarentur divortia, nonne de publica re gravissime illis erat pertimescendum? Satius quidem duxerunt publico bono consulere, hoc perferentes, quam fortasse

Rempublicam perdere. His potissimum de causis, sæculi leges a pluribus receptæ populis, longa valuerunt ætate, quamvis eas Ecclesia magis minusve semper improbasset.

Hic vero animadvertamus oportet, propter etiam alia magna crimina, gravioresque causas, non raro Christianos Principes divortium permisisse, eo quod fornicationis vocabulum, quod legitur in Evangelio, ad spiritualem etiam fornicationem referrent, ut est idololatria, apostasia. Neque id novum in Ecclesia. Eo enim sensu, Ecclesiastici doctores vocem illam aliquando usurparunt. Nec modo Romani Imperatores, sed nonnulli etiam alii Europæ Principes, his moribus populorum suas accommodarunt leges, ut Theodoricus in Italia, Visigotorum Reges in Hispania, nec non Galliarum Principes, et Britanniæ. At cum in latina Ecclesia generatim sta-

tutum fuerit, nullo pacto divortium, nec adulterii causa licitum esse, Principum leges in desuetudinem paullatim abierunt.

§. II.

Ecclesiæ doctrina, et nonnullorum Ecclesiasticorum hominum, circa matrimonii indissolubilitatem opiniones, et usus.

Quid interdum agerent quoad vinculi solutionem nonnulli Ecclesiæ viri, et propter adulterium, et propter alias gravissimas causas, omnino necesse est, ut perscrutemur. At in primis meum esse puto ostendere, quod omni ætate Ecclesia semper docuerit, quavis de causa, consummati matrimonii vinculum inter fideles esse indissolubile. Et sane, ut a Græca Ecclesia exordium sumam, Sanctus Justinus, secundo

sæculo, in prima pro Christianis apologia apertissime scribit, adulterium committere illum, qui a viro repudiatam adulteram duxit. Et Athenagoras, eodem sæculo, in apologia ad Imperatores pro Religione Christi hæc habet: *Qui uxorem suam dimiserit, et duxerit aliam adulteratur, inquit Dominus noster*. Quid de Clemente Alexandrino dicam? Ipse enim libro secundo stromatum dixit: *legem aperte constituit, non dimittes uxorem præterquam propter fornicationem. Adulterium autem existimat coniungi matrimonio, vivo altero ex separatis.... qui autem dimissam accipit uxorem mœchatur*. Quid de Origene? Is autem sic ait (1): *Contra Scripturæ legem mulieri, vivente viro, nubere quidam Ecclesiæ Rectores permiserunt, agentes contra id,*

(1) *Tract. 7. in Matth.*

quod scriptum est : MULIER ALLIGATA EST QUANTO TEMPORE VIR EIUS VIVIT ; *et contra illud* : IGITUR VIVENTE VIRO, MULIER VOCABITUR ADULTERA, SI FUERIT CUM ALIO VIRO. Divus autem Chrysostomus aperte scribit (1) de eo, qui adulterii causa uxorem dimisit: *ille enim, etsi alteram non duxerit, hoc ipso se constituit criminis reum, quod adulteram fecit ex coniuge; hic vero excipiendo alienam, adulter effectus est; nequaquam enim mihi referas, quia illam alter eiecit; nam expulsa quoque uxor esse eius, qui eam expulit, perseverat*. Quis igitur ex his clarissimis testimoniis non videt, primis sæculis Ecclesiæ Orientalis doctrinam, eamdem fuisse, quam semper tenuit, docuitque Latina Ecclesia? Ideoque recentiores Græcos a veteri Patrum suorum sententia recessisse?

(1) *Hom.* 17. *in Matth.*

Latinos vero Patres constanter, firmiterque tenuisse, vinculum matrimonii esse quavis de causa indissolubile, plura testimonia, quæ ex eorum scriptis proferri possunt, ostendunt. Hic tantum lubet referre Divi Augustini, et Hieronymi verba, quæ hanc veritatem clare demonstrant. Sanctus enim Hipponensis Antistes ad ea verba D. Pauli (1), *mulier alligata est legi quanto tempore vir eius vivit*; itemque (2): *vivente viro mulier vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro*, inquit (3): *Hæc verba Apostoli, toties inculcata vera sunt, viva sunt, plana sunt: nullius viri posterioris mulier esse incipit, nisi prioris esse desiverit; esse autem desinet uxor prioris, si moriatur vir eius, non si fornicetur*, Id autem pro certo habuit Au-

(1) *I. Corinth.* 7. 30.

(2) *Ad Roman.* 7. 22. *et* 23.

(3) *Lib.* 2. *de Coniug. adulter. Cap.* 5.

gustinus; quamvis in nonnullis aliis suorum operum locis, difficillimam, et latebrosissimam hanc quæstionem appellare non dubitet (1), et in libro *de fide, et operibus* (2) hæc habeat: *In divinis sententiis ita obscurum est utrum et iste, cui quidem sine dubio adulteram licet dimittere, adulter tamen habeatur, si alteram duxerit, ut quantum existimo, venialiter ibi quisque fallatur*. Nihilominus a vera doctrina minime discessit. Hieronymus vero (3), quæ fuerit quarti sæculi doctrina aperit, publicam describens pœnitentiam Fabiolæ nobili matronæ a Romano Pontifice impositam, eo quod, adultero viro dimisso, legum civilium auctoritate innixa alteri nupsisset, et sic scribit ipse

(1) *Lib. I. Retractat. Cap.* 19. *Lib. II. ibid.*
(2) *Cap.* 19.
(3) *Epist. ad Ocean.*

met S. Doctor (1): *sic priorem dimittere jubetur uxorem, ut secundam, prima vivente, non habeat*. Si vero ad Concilia convertamus animum, se statim offert Eliberitanum, anno tercentesimo quinto, quod in canone IX. inquit: *Fidelis fœmina, quæ adulterum maritum reliquerit fidelem, et alterum duxerit, prohibeatur*. Et in Concilio Nannetensi, anno quadringentesimo, sic legitur: (2): *Si cuius uxor adulterium perpetravit, et hoc a viro deprehensum fuerit, et publicatum, dimittat uxorem si voluerit propter fornicationem.... vir vero eius, illa vivente, nullatenus aliam accipiat*. In Milevitana vero synodo, anno quadringentesimo decimo sexto (3), hæc habentur: *Placuit, ut secundum Evangelicam, et Apostolicam*

(1) *In Cap.* 19. *Matth.*
(2) *Cap. XII.*
(3) *Can. X.*

doctrinam neque dimissus ab uxore, neque dimissa a marito alteri coniungatur. Quod Concilia, idem statuerunt etiam Pontifices. Innocentius I. in epistola ad Exuperium Episcopum Tolosanum sic respondit: *De his, qui interveniente repudio, aliis se matrimonio copularunt, quos in utraque parte adulteros esse manifestum est ... et ideo omnes a communione fidelium abstinendos*. Et Innocentius III. Tiberiadensi Episcopo ita rescripsit (1): *Sane veridica hæc sententia probatur etiam de testimonio veritatis testantis in Evangelio*: QUICUMQUE DIMISERIT UXOREM SUAM OB FORNICATIONEM, ET ALIAM DUXERIT MOECHATUR. *Si ergo, uxore dimissa, duci alia de jure non potest, fortius et ipsa retenta*. Eugenius autem IV. in Concilio Florentino Græcos sic alloquutus est: *Dico omnes*

(1) *Cap. Gaudemus de divort.*

conqueri de separatione matrimonii, idque correctione indiget; et in decreto pro Armenis inquit: *quamvis ex causa fornicationis liceat thori separationem facere, non tamen aliud matrimonium contrahere fas est; cum matrimonii vinculum legitime contracti perpetuum sit*. Ex quibus omnibus, aliisque plurimis, quæ afferre possem testimoniis græcorum, latinorumque Patrum, luculentissime patet, doctrinam Ecclesiæ semper fuisse, matrimonium quoad vinculum nulla ratione posse dissolvi. Igitur jure merito Tridentina Synodus, ex Scripturarum auctoritate, et constanti Patrum traditione hanc veritatem declaravit.

Quamvis autem hæc omnia verissima sint, et omni ætate, et mediis etiam in sæculis idem Ecclesia docuerit, nihilominus inficiari neminem posse videtur, aliquando nonnullos Ecclesiarum Pastores gravissimis de causis per-

misisse, ut vivente coniuge, ad alias alter transiret nuptias. Cum enim nulla tunc esset solemnis Ecclesiæ definitio, plura illis interdum suadebant hanc agendi rationem, vel quod in periculo versarentur incontinentiæ coniuges innoxii, vel Religionis bono, et ne maiora emergerent mala. Quod in primis ex Origene eruitur, qui testatur (1), quosdam Ecclesiæ Rectores permisisse mulieri, vivente viro, nubere contra Scripturæ legem: *non omnino tamen sine ratione; hæc enim contra legem initio latam, et scriptam ad vitanda peiora alieno arbitrio morem gerentes, eos permisisse verisimile est*. Idque etiam progressu ætatis interdum factum esse, ex nonnullis particularium Conciliorum præsertim canonibus patet. In celeberrimo Arelatensi Concilio, anno trecentesimo decimo

(1) *Loc. supr. cit.*

quarto, iussu Imperatoris Constantini M. indicto, universalem regente Ecclesiam Sancto Silvestro, cui fere omnes Occidentalis Ecclesiæ Patres interfuerunt, quod a sacrorum canonum cultoribus inter Concilia quasi generalia ponitur (1), cujusque canones tanti habentur, canon x. ita conscriptus habetur: *De his, qui coniuges suas in adulterio deprehendunt, et iidem sunt adolescentes fideles, et prohibentur nubere; placuit, ut in quantum possit, consilium ei detur, ne viventibus uxoribus suis, licet adulteris, alias accipiant*. Et quamvis hoc in canone nil definiatur, inficiari tamen minime potest, consilium saltem dari ad alias nuptias non transeundi. Tunc enim vigebant sæculi leges, quæ marito permittebant adulterum uxoris suæ occidere domi suæ deprehensum, et præcipiebant, ut sine mora uxorem dimitte-

(1) Vide Pagium *in Vita S. Silvestri*.

ret (1): et periculum etiam erat, ne uxor adultera occideretur; adulterium enim morte plectebatur ex Constantini lege, quam lex I. Codicis Theodosiani *Tit. XL. De pœnis* aperte supponit (2), et quæ ex temporum iniuria intercidit, ut

(1) *L. Marito* 24. *ff. ad Jeg. Jul. de adult.* ibi: *Marito quoque adulterum uxoris suæ occidere permittitur: sed non quemlibet, ut patri. Nam hac lege cavetur, ut liceat viro deprehensum domi suæ; non etiam soceri, in adulterio uxoris suæ occidere eum, qui leno fuerit: quive artem ludricam fecerit, vel in scenam saltandi, captandivè causa prodierit, judiciove publico damnatus, neque in integrum restitutus erit: quive libertus eius mariti, uxorisve, patris, matris, filii, filiæ utriusque eorum fuerit: nec interest propius cuius eorum, an cum alio communis fuerit, qnive servus erit. Et præcipitur ut is maritus, qui horum quem occiderit, uxorem sine mora dimittat, etc.*

(2) Hanc legem vide in Codice Theodosiano, cum commentariis Jacobi Gothofredi, edit. Lugduni 1665. pag. 292. ibi: *Qui sententiam laturus est, temperamentum hoc teneat, ut non prius capitalem in quempiam promat,*

clarissimus Antonius Matthæus arbitratur (1). Patres autem illi a gravissimis, peioribusque malis, quæ evenire poterant abhorrentes noluerunt absolute prohibere, sed dare potius consilium eis visum est.

Huic adde aliquos canones Concilii Vermeriensis (2): et in primis canonem v. *Si qua mulier mortem viri sui cum aliis hominibus conciliavit, et ipse vir ipsius hominem se defendendo*

severamque sententiam, quam in adulterii, vel homicidii, vel maleficii crimen aut sua confessione, aut certe omnium qui tormentis, vel interrogationibus fuerint dediti, in unum conspirantem, concordantemque rei fine, convictus sit etc. Dat. III. Non. Nov. Trev. Acc. XV. Kal. Maij, Hadrumati, Volusiano, et Aniano Coss. (314).

(1) *De criminibus Tom. I. §. I. De pœna adulterii, in notis.*

(2) Concilium hoc celebratum fuit an. 752. apud Vermeriam Palatium, præsente Pipino Rege. Vide Labbeum *in Concilior. Collect. Tom. VIII. Venetiis* 1729.

occiderit, et hoc probare potest, ille vir potest ipsam uxorem dimittere, et si voluerit aliam accipiat. Itemque Canonem IX. *Si quis, necessitate inevitabili cogente, in alium Ducatum, seu Provinciam fugerit, aut seniorem suum, cui fidem mentiri non poterat sequutus fuerit, et uxor eius cum valet et potest, amore parentum, aut rerum suarum eum sequi noluerit, ipsa omni tempore quandiu vir eius, quem sequuta non fuit, vivit, semper innupta permaneat. Nam ille vir eius, qui necessitate cogente in alium locum fugit, si nunquam in suam patriam se reversurum sperat, si se abstinere non potest, aliam uxorem cum pœnitentia potest accipere*. Demum addam canonem XVIII. eiusdem Concilii: *Qui cum consobrinâ uxoris suæ manet, sua careat, et nullam aliam habeat; Illa mulier, quam habuit, fa-*

ciat quod vult. Verba autem, quæ sequuntur, *hoc Ecclesia non recipit*, Cotelerius (1) putat ab aliquo addita fuisse, qui suorum temporum disciplinam præ oculis tantum habebat. Canonem etiam xvi. referam Concilii Compendiensis, anno septingentesimo quinquagesimo septimo indicti, cui interfuerunt aliqui Galliarum Episcopi, et Proceres. Hic canon de leproso viro sic loquitur: *Si vir leprosus mulierem habeat sanam, si vult ei donare commeatum, ut accipiat virum, ipsa fœmina si vult accipiat. Similiter, et vir.*

Præ cæteris vero commemoratione dignum videtur celeberrimum Theodori Archiepiscopi Cantuariensis Pœnitentiale, *capite undecimo*, *de quæstionibus coniugorum*, ad cuius normam conscripta fuere illud venerabi-

(1) *Patr. Apostol. ad S. Herm. Past. in not. ad mand. IV.*

lis Bedæ, et Egberti Eboracensis, et ab Jacobo Petito illustratum fuit. Quis ignorat quanta Theodorus sanctitate, et doctrina emineret? Ob virtutis, et eruditionis famam, ipsum Vitalianus Pontifex ad sedem Ecclesiæ Cantuariensis evexit; hic primus Archiepiscopus fuit, cui tota Anglorum Ecclesia manus dare consensit (1). Ipse autem

(1) Theodorus Græcus erat Monachus Tharsi Ciliciæ natus, quem Episcopum ordinavit Vitalianus Papa, anno Christi 668., et in Britanniam misit, ad quam pervenit anno ordinationis suæ secundo. Cantuariæ sedit annos 21. menses 3. dies 26. Obiit autem anno 690. Itaque, intra illud tempus Theodorus suum Pœnitentiale composuit. Omnium librorum Pœnitentialium apud Latinos primus ille laudatur, cuius postea imitatione multi conscripti fuere. Joannes Morinus *in Libro VII. de pœnitentia Cap.* 1. *num.* 5. *et* 16. ipse addit: *Theodori pœnitentialis liber Græcorum imitatione compositus, et annis viginti quinque, aut paulo minus ante septingentesimum in Anglia editus, et paulo post per universam Ecclesiam Latinam divulgatus, et celebratus.*

citato capite inquit : *Si cuius uxor fornicata fuerit , licet dimittere eam , et aliam accipere : hoc est , si vir dimiserit uxorem suam propter fornicationem, si prima fuerit uxor, licitum est, ut aliam accipiat uxorem .* Et postea : *Si cuius uxorem hostis abstulerit, et ipse eam adipisci non potest , licet aliam tollere ; melius est sic facere, quam fornicari .* Quod ad peiora mala evitanda, non probando, sed indulgendo dicitur. Revera idem Jacobus Petitus in præfatione ad hoc Theodori Pœnitentiale sic loquitur : *Non mirum si nonnulli quarumdam Ecclesiarum usus in eo insoliti reperiantur, aut alii, quos Patres ob plurimorum infirmitatem ex maxima indulgentia tolerabiles esse voluerunt .* Et deinde monet : *nubendi licentiam post divortium fornicationis causa, absentiæ diuturnioris , captivitatis , aut cuiuslibet rei, ex magna quorumdam*

Ecclesiæ Rectorum indulgentia ortam esse. Et apud ipsum Petitum, sub nomine *Excerption. Eboracens. Archiepisc. C.* cxxii. *Tom.* 1. *Canon dicit*: *Si mulier discesserit a viro suo, post quinque, vel septem annos cum consensu Episcopi ipse aliam accipiat uxorem, si continens esse non poterit, et pœniteat tres annos, vel etiam quandiu vixerit, quia juxta sententiam Domini mœchus comprobatur*. Quæ postrema verba sanam doctrinam ostendunt, sed indulgentiam tamen canon admittit.

Alia etiam eiusmodi referre possem exempla: sed hæc a me historice exposita satis esse arbitror. Ut vero hoc modo se gererent nonnulli Præsules aliquando, hæ potuerunt coalescere causæ. Forsitan enim auctoritate Latinis Patribus octavi sæculi admodum gravi Theodori Cantuariensis movebantur, cuius documenta tunc erant vulgatissi-

ma, et maximi habita: deinde temporum vis, et ratio illos cogebat Patres ad tolerandum nonnunquam, quod minime evellere poterant. Id vero ex eo maxime patet, quod qui ob adulterium, aliasve causas secundo nuberent, iis plures canones pœnitentiam imponerent. Quis enim non videt in iis statuendis canonibus rationem habuisse Patres morum corruptionis, et effrenatæ libidinis, cui modum imponere voluerunt? Idque ad duritiam cordis permissum interdum fuisse, quemadmodum de Hebræis testatur Christus?

§. II.

De Romanæ Ecclesiæ usu in tolerandis Ecclesiarum consuetudinibus.

Mos fuit semper Apostolicæ Sedis illas aliarum pati consuetudines, quæ

fidei minime adversarentur, nec scinderent Christi Ecclesiam. *Non omnis consuetudo ad dissociandas Ecclesias valet, quæ dogmatis differentiam non inducit*, ut inquit Theophylactus Bulgariensis Archiepiscopus in Epistola ad Nicolaum Diaconum, et Castrinsium, qui ab eo quærebant, an possent Græci Latinæ Ecclesiæ communionem amplecti, ob diversas utriusque Ecclesiæ consuetudines circa jejunia, cœlibatum Sacerdotum, azyma, aliosque ritus. Nec aliter loquutus est Leo IX. Michælem Episcopum Constantinopolitanum, et Leonem Acridanum acriter obiurgans, qui Romanæ Ecclesiæ suos ritus, et panis azymi usum vitio vertebant; ait enim: *nihil obsunt saluti credentium diversæ pro loco, et tempore consuetudines, quando fides per dilectionem operatur bona, quæ potest*,

uti Deo commendans omnes (1). Idemque affirmat Fulbertus Carnotensis iis verbis: *Sed nec parva, nec rara sunt, quæ ab aliis necessario servanda, aliis non adeo curanda affirmentur. Nec tamen nos offendit observantiæ diversitas, ubi fidei non scinditur unitas. Porro in multis Græcia ab Hispania, ab aliis Romana, et Gallicana discrepat Ecclesia: sed neque in hoc scandalizamur, si audiamus diversam observationem, sed non diversam fidem in Christi semper Ecclesiis extitisse. Stat enim Regina Ecclesia a dextris Regni sui, in vestitu deaurato, circumdata varietate.* Qua de re Apostolica Sedes prudenter, cauteque se gerens, cum de iis ageretur, quæ dogmati ab Ecclesia de fide proposito non adversabantur,

(1) *De Marca Concord. Sacerd. et Imp. Lib.* 3. *Cap.* 8.

semper præclara indulgentiæ præbuit exempla, eoque magis cum id prospiceret, quod ad mala gravissima, imo forsitan ad schisma viam sterneret, si usitatis populorum moribus obstitisset. Quis vero Ecclesiasticæ historiæ non ignarus, hanc Ecclesiæ tolerantiam inficiabitur? Cum Theophilus Cæsareæ Episcopus Romam accessisset, Victor Pontifex Maximus coegit Synodum, in qua statuit, *Pascha non decima quarta luna primi mensis, sed die Dominico, post decimam quartam lunam, et vernale aequinoctium occurrente, prout ab Apostolis traditum est, celebrandum esse*. Idque optimo jure constitutum est, ne Ecclesia Christi, in celebrando die Paschatis cum Judæis conveniret, et ut Orientales Ecclesiæ, quæ more Judæorum sanctissimum celebrabant diem, se aliis conformarent, et etiam quia poterat fieri, ut aliter bis Pascha Christiani pera-

gerent, vel nunquam in anno. Id patet ex Epistola Magni Constantini ad Episcopos absentes de decretis in Concilio Nicæno, in quo illud Victoris confirmatum a Patribus fuit. Attamen idem Pontifex, quamvis Asianos Episcopos a se jussis obtemperare detrectantes, ab Ecclesiæ communione vellet submovere, hortatu, et suasione Sancti Irenæi Lugdunensis Episcopi pacem illis restituit, ne Ecclesiæ scinderetur unitas, et communio; iisdemque suarum Ecclesiarum usum permittens, tolerantiæ exemplum quam maximum dedit.

Nec in notissima, quæ orta est controversia, in Petri Cathedra sedente Sancto Stephano I., dissimilis Romanæ Ecclesiæ fuit ratio. Sanctus Cyprianus Carthaginensium Episcopus, et Firmilianus Cæsareæ in Cappadocia Antistes, cum plurimis Episcopis Orientalibus, habitis in Africa, et Asia Conciliis, inconsulto Romanæ Urbis

Episcopo, decernere ausi sunt, non esse ab Ecclesia recipiendos hæreticos, nisi prius ab errore purgarentur, iterato Baptismo; quorum opinioni strenue resistens Stephanus, Romæ Concilium celebravit, et ad Cyprianum rescripsit, constanter professus: *Si quis a quacumque hæresi venerit ad nos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in pœnitentiam; cum ipsi hæretici alterutrum venientes ad se non baptizent, sed communicent tantum.* Et quamvis tot Episcopi, qui eam amplexi fuerant doctrinam, Stephano parere noluissent, tamen Pontifex ab eos excommunicando abstinuit, neque minarum fines excessit; ut contra Baronium demonstrat Pagius (1), qui de eodem Sancto Pontifice verba faciens, hæc addit: *graviter*

(1) *Breviar. Gestor. Pontific. Roman.* in vita huius Pontificis.

quidem commotus est, et indigne tulit, quod Africana Synodus adversus receptam totius Ecclesiæ consuetudinem, hæreticos rebaptizandos esse statuisset, remque tanti ponderis, et momenti, non consulto prius Romanæ Urbis Episcopo, decernere ausa esset: et Episcopos, quos Cyprianus, et Collegæ ad ipsum miserant, una cum decretis illius Synodi primo quidem admittere noluit, sed postea eos admisit, et ad Cypriani literas rescripsit, ut colligitur ex ejusdem Cypriani Epistola ad Pompejum. Quæ quidem Stephani literæ, licet paulo acerbiores, et iniquiores visæ tunc fuerint, nihilominus tamen pacem inter se ambo retinuerunt.

Dubitari sane non potest, præclarissimum hoc fuisse tolerantiæ argumentum (1). Pontifex enim suam jam pro-

(1) Decretum S. Stephani circa rebapti-

tulerat sententiam, et servandam omnino esse volebat. Agebatur de quæstione gravissima; et tamen non modo

zantes non fuisse Romani Pontificis aliquid definientis, quod Catholica, Divinaque fide ab omnibus crederetur demonstrat Cardinalis Joseph. August. Orsi in *Tom.* II. *de irreformabili R. P. in fidei controv. definiendis judicio*; Petrus Ballerinius in *Lib. de vi, ac ratione primatus R. P. Cap.* 13. *n.* 15. aliique summi viri, qui notas, et signa proponunt, quibus disciplina a dogmate fidei possit discerni. Quoad disciplinam statuunt, eam in re exteriori, vel ritu, vel in aliquid faciendo, minime vero credendo consistere; eamque definiunt esse: exteriorem Ecclesiæ statum, vel politiam, quæ respicit populorum regimen. Ut vero disciplinæ res dignoscatur, firmant secundo: cum uno, vel alio modo agere res prorsus indifferens est, nisi generalis existat lex, quæ tamen et ipsa subiacet mutationi, tunc disciplinam esse dicendam. Tertio: disciplinæ res etiam est, cum in variis Ecclesiis diversa servatur consuetudo. Quarto demum: si ecclesiastica manet communio etiam inter eos, qui diverso agunt modo. Quoad dogmata vero fidei, tunc firmant canonem: in rebus etiam ad fidem pertinentibus,

ipse S. Stephanus, sed etiam illius Successores, contrario sentientes patienter tolerarunt, donec Nicæna Synodus maximæ huic controversiæ finem posuit, Stephani sententiam approbando. At, ut ab antiquis exemplis ad recentiora progrediamur; Alexandri III., qui

cum obscura est divina revelatio, et viri doctrina, et probitate clari dissentiunt, neque ulla adhuc extat supremi Judicis controversiarum definitio, cuique liberum est eam amplecti, et tenere sententiam, quæ illi verisimilior apparet. His statutis principiis affirmant, diversam Ecclesiarum consuetudinem baptizandi hæreticos, vel non baptizandi, iis fuisse temporibus nil aliud, nisi factum, quod a principio fidei, nondum ab Ecclesia definito manabat; Stephanum autem nil definiisse ex fide credendum, sed tantum præcepisse, ne iterum baptizarentur, qui ad Ecclesiam ab hæreticis revertebantur. Cyprianum vero, probat etiam Christianus Lupus, (*Tom. XI. Diss. de opin. prob.*) aliquo modo posse excusari ex opinione tunc probabili, et Ecclesiarum Africæ consuetudine; quamvis nonnihil peccasset ob modum, quo suam defendit opinionem.

in Romana Cathedra fuit sæculo decimo secundo, decretalem epistolam perpendamus, in qua tolerantiam ostendit, quoad ipsum matrimonium (1): *Verum, licet Ecclesia Romana non consueverit propter naturalem frigiditatem, nec propter alia maleficia legitime coniunctos dividere, si tamen consuetudo generalis Gallicanæ Ecclesiæ habet, ut huiusmodi matrimonium dissolvatur, nos patienter tolerabimus, si secundum illam consuetudinem, eidem mulieri, cui voluerit nubendi in Domino concesseris facultatem.* Quocirca animadvertit clarissimus Petrus de Marca (2): *Alexander III. decessorum vestigiis hærens,*

(1) *Cap. Quod sedem, De frigidis.* Huius decretalis verba, quæ referuntur in prima collectione, videsis etiam ad eumd. Tit. *Cap.* 2. *apud. Gonzalez.*

(2) *De concord. Sacerd. et Imp. Lib.* 3. *Cap.* 9. §. 5.

in re gravissima, idest in matrimonii nullitate, Ecclesiæ Gallicanæ consuetudinem, licet Romanæ contrariam, tolerandam esse rescripsit. Quo tolerantiæ exemplo, quid præclarius? (1)

(1) Idem Pontifex Alexander III. in matrimonii causa ita respondit: *Ex litteris tuis accepimus, quod quidam quindecim annorum, vel eo amplius, quandam tredecim annorum duxit in uxorem: verum cum debitum reddere deberet, et non posset, mulier tam gravem contraxit infirmitatem, ut omnino viro sit facta inutilis, et instrumentum eius ita sit impeditum, quod viro non valeat commisceri. Sed quia nobis dubium est, an pro culpa viri infirmitas pervenerit, super hoc plenum, vel certum dare responsum non valemus. Quod si tibi constiterit quod illud vitium a natura contraxerit, nec ope medicorum poterit juvari, viro aliam accipiendi liberam tribuas facultatem: si vero ex culpa viri hoc provenit, licet non sit tutum indulgeri ei, ut aliam accipiat, tamen sub dissimulatione poteris sustinere, quia tutius est unam tanquam uxorem habere, quam cum multis peccare.* Apud Gonzalez *De Frigid. et Maleficiat, Cap. III.*

Et ne longius morer in re notissima, quam diu Latina Ecclesia Græcorum opinionem, et disciplinam circa matrimonii solutionem propter adulterium toleravit! In Florentino etiam Concilio, in quo de Græcorum unione cum Latina Ecclesia actum est, expostulantibus Latinis, cur Græci matrimonia dirimerent, respondit Dorotheus Mitylenensis Metropolita: *Interim Eugenius Pontifex duxit, unionem ob istum articulum non esse circumducendam, aut suspendendam. Permisit Græcos cum suo avito more abire* (1). Quam caute vero, prudenterque celeberrimum canonem composuit Tridentina Synodus, in quo statutum est (2),

(1) Vid. Christianum Lupum in *citata diss. Cap.* v.

(2) *Sess.* 24. *Can.* 7. ibi: *Si quis dixerit Ecclesiam errare cum docuit, et docet, juxta Evangelicam, et Apostolicam doctrinam propter adulterium alterius conjugum matrimonii vinculum non posse dissolvi; et utrumque, vel*

adulterii causa minime solvi coniugia Christianorum, instantibus Venetæ Reipublicæ legatis, qui Concilii Patrum oculis subiecerunt grave periculum, ne Græci eius dominio subiecti desciscerent! Quid plura? Nonne etiam nunc Romana Ecclesia Græcos patienter tolerat, circa matrimonium Presbyterorum, quamvis ab ipso approbando absit longissime? Quot vero acciderent mala, si Ecclesia, pia fidelium mater, interdum non dissimularet, quod minime probat, imo etiam rejicit! Hæc vidit Pontifex S. Gregorius Magnus, cum ita loquutus est (1): *In*

etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse, altero conjuge vivente, aliud matrimonium contrahere, mœcharique eum, qui, dimissa adultera, aliam duxerit, et eam, quæ dimisso adultero, alii nupserit; anathema sit.

(1) In responsione ad quæsita per Nuntios Augustini primi Cantuariensis Archiepiscopi, pro nascenti jam apud Anglo-Saxones Ecclesia gubernanda, apud Vilkium *Concil.*

hoc enim tempore Sancta Ecclesia quædam per fervorem corrigit, quædam per mansuetudinem tolerat, quædam per considerationem dissimulat, ut sæpe malum, quod aversatur portando, et dissimulando compescat.

Cum tot, tantaque sint tolerantiæ indicia in rebus tam maximis, tantique momenti, quæ posuimus, et alia plura, quæ brevitatis causa omittam, omnibus fere Ecclesiæ temporibus; affirmari ne posset Gregorium II., vera doctrina proposita, in suis ad Bonifacium literis indulgentia deinde usum fuisse, quam aliquando nonnullos adhibuisse Ecclesiæ Pastores iam vidimus?

Pontificis literas inspiciamus, eiusque verba etiam minima consideremus. Hinc patebit, an quæ nos coniiciendo diximus, aliquo possint modo probari.

Magn. Britan. et Hibern, Tom. 1. *Londini* 1737 *pag*. 20.

§. IV.

Analysis huius Canonis.

Quamvis noverit Bonifacius, cum Germaniæ Populis Christi legem nunciaret, quid nonnulli facerent Ecclesiæ viri, quoad vinculi coniugalis solutionem, tamen voluit Pontificem consulere. Literas ad eum mittit, ab eoque plura exposcit, quærens *qualiter teneat, vel doceat Sancta Apostolica Romana Ecclesia*. Planum est, hanc Bonifacii interrogationem ad ea omnia referendam esse, quæ in iisdem habebantur literis. Pontifici respondendum erat juxta id, quod Bonifacius petierat; et sane literarum initio ipse fatetur Pontifex ita se respondisse: *non ex nobis, quasi ex nobis, sed eius gratia, qui aperit os mutorum, et linguas infantium facit disertas, qualiter te-*

nere debeas Apostolici vigoris doctrinam dicimus.

Itaque si canonem *Quod proposuisti* inspicias attente, eum bipartitum esse facile nosces. Prima pars veram continet doctrinam; altera vero indulgentiam exhibet. Nunc videamus utrum res ita se habeat. Exposita specie de qua agebatur: *si mulier infirmitate correpta non valuerit debitum viro reddere*; deinde vero Bonifacii interrogatione: *quid eius faciat jugalis*? Statim Pontifex respondet: *bonum esset si sic permaneret, ut abstinentiæ vacaret*. En primam canonis partem. En veram Ecclesiæ Romanæ doctrinam a Pontifice expositam; et ut id fiat vehementer optat. At prospicit, quam arduum sit Germanos illos in fide novos cogere, ut abstinentiæ a re coniugali vacarent. Non latebat enim Pontificem misera populorum conditio, quos ab Idololatria Bonifacius sua prædica-

tione ad Fidem traducere studebat. Nec, quæ fortasse evenirent ignorabat mala, si id omnino vetasset, quod nimis ab eorum vetustissimis, turpissimisque distabat moribus. Indulgentiæ vero minime prætermittendæ, hæc certe erat occasio; quapropter verbis *bonum esset* utitur, quæ satis veram indicant doctrinam, et implicite continent, idque non respuunt, quod hac in re particulari indulgentia exposcit. Nec tamen a Pontifice ratio dissimulatur: imo manifeste ex iis verbis eruitur, *sed quia hoc magnorum est*, nempe Christifidelium, qui in fide sunt radicati, et fundati, quique præceptorum Evangelii severitatem sustinendo sunt pares; hoc pacto tacite discrimen innuens inter *magnos*, *et parvos*, *vel infirmos*, quos recens ad fidem conversos intelligit, jamdudum barbaris assuetos consuetudinibus, et libidini servientes. Et sane nimis foret difficile,

virum inter illas feras gentes abstinere ab uxore voluisse, quin turpissimis se dederet voluptatibus. Ea igitur verba, *hoc magnorum est*, nihil aliud sibi volunt, nisi eos populos tanta non pollere virtute. Verum antequam Pontifex id permitteret, conditionem adiungit, eam scilicet, quæ in iis verbis habetur, *ille, qui se non poterit continére*; quæ sane verba ostendunt nullatenus Pontificem concessurum huic viro fuisse alias nuptias, si de eius continentia nullus esset dubitandi locus. Hic autem animadvertas velim, Pontificem iisdem usum fuisse verbis, quæ in quibusdam supra relatis testimoniis continentur, in quibus conditio hæc, *si se non poterit continere*, adjicitur. Eo enim semper omnem curam intendit Ecclesia, ut quæ majora ex coniugum incontinentia exundarent mala, ea, quoad fieri posset, evitarentur. Itaque proposita indulgentiæ causa, *quia hoc*

magnorum est, et conditione, *si se non poterit continere*, ad ipsam statim progreditur iis verbis, *nubat magis*. Nec Pontifex (perpendas attente) dicit in canone, *potest licite nubere*, vel etiam, *licet ei ad alias nuptias transire*, sed comparativa particula *magis* utitur, indicans nempe, minus malum id esse cum alia nubere, quam incontinentiæ laxare fræna, et in libidinum cœno volutari; ideoque permissio hæc a Pontifice fere invito extorquetur. Nec id satis est. Concessionem insuper limitat jubendo, mulieri, quæ sunt ad vitam necessaria non subtrahi, cum ipsa nullius fuerit sibi conscia criminis, si debitum non reddiderit viro: *non tamen subsidii opem subtrahat ab illa, quam infirmitas præpedit, et non detestabilis culpa excludit*.

Nec dicas per illud *nubat*, imperative præcipi nuptias. Non enim hoc

semper præceptum sonat, sed aliquando indulgentiam. Revera, dices ne, Christum Iudæ in ultima cœna præceptum fecisse, cum ei dixit, *quod facis, fac citius*? Permissive tantum, non imperative, ut notant Interpretes, hæc verba fuere a Christo prolata. Et ratio suadet. Ea enim est in vulgari usu loquendi verborum potestas, ut nonnulla aliquando ambiguitatem contineant, cum modo imperative dicantur, modo permissive. Quo autem in sensu sint intelligenda, e re de qua agitur, et circumstantiis commode arguitur. An non vides in canone de quo disputatur circumstantias, quæ Pontificis responsionem comitantur, indulgentiam, non imperium ostendere? An id non perspicitur ex verbis, *quia hoc magnorum est*, aliisque, *si se non poterit continere*? Huic interpretationi robur addunt, quæ in eadem epistola Gregorius rescripsit Bonifacio ad alias

quæstiones, et ea præcipue, quæ respondit in primo capite, quod nostrum canonem immediate præcedit. *Igitur in primis legebatur*, (ita Pontifex) *an in quarta progenie propinquorum matrimonium copuletur; dicimus, quod oporteat quidem, quandiu se agnoscunt affinitate propinquos, ad huius copulæ non accedere societatem. Sed quia temperantia magis, et præsertim inter barbaram gentem plus placet, quam districtio censuræ, concedendum est, ut post quartam generationem jungantur*. Poterat ne Summus Pontifex Gregorius II. clarius ostendere, in eo rerum statu, necessitate cogi canonum severitatem relaxandi, et tolerantiam adhibendi? Is vero huius primi canonis dicendi modus: *dicimus quod oporteat ad huius copulæ societatem non accedere*, deinde, *sed quia temperantia magis, et præsertim inter barbaram gentem*

plus placet, nonne similis prorsus est verbis, quibus utitur secundo in canone, *bonum esset si sic permaneret*, et postea, *sed quia hoc magnorum est*? Videnda sunt etiam ea, quæ Pontifex a Bonifacio interrogatus, an posset cibum sumere, et communicare cum nonnullis Episcopis, et Sacerdotibus plurimis vitiis irretitis, postremo earumdem literarum capite respondet: *dicimus, ut hos ex Apostolica auctoritate redarguendo admoneas, et ad munditiam Ecclesiasticæ disciplinæ reducas . . . verumtamen collocutionem, et mensam communem cum eis agere non recuses. Plerumque contingit, quos correctio disciplinæ tardos facit ad percipiendam veritatis normam, conviviorum sedulitas, et admonitio blanda ad viam perducat justitiæ.*

Nec quis obiiciat, Bonifacium a Pontifice petiisse, ut is diceret, quid *Apo-*

stolica Romana Ecclesia teneret, prout ex procemio earumdem literarum habetur. In primis enim, hæc verba ad omnes suis in literis propositas disciplinæ quæstiones sunt coniunctæ, simulque referenda, quas ex Scripturarum interdum solvit auctoritate. Deinde affirmare non dubito, Pontificem veram Romanæ Ecclesiæ doctrinam tradidisse, eamque in prima canonis parte contineri, in illis scilicet verbis, *bonum esset si sic permaneret, ut abstinentiæ vacaret*.

Hinc patet veram doctrinam Gregorium docuisse: in eo tamen rerum statu, de quo exquirebatur a Bonifacio, necessariam putavit tolerantiam, propter Germaniæ populorum, qui tunc recens ad Christi fidem convertebantur, feritatem, et libidinem; quibus, ut Christianam Religionem amplecterentur, non addere, sed potius impedimenta minuere opus erat; Gregorium igitur

in responsione ad Bonifacium, in errorem contra fidem lapsum fuisse nemo prudens dixerit; nihil enim Pontifex definivit, sed regulam tantum exhibuit Bonifacio, qualiter tenere, et se gerere oporteret; quin potius laudandum Pontificem arbitror, quia prudenter fecisset (1). Si vero in permittenda, vel toleranda coniugalis vinculi solutione, obfirmato animo velis errasse Pontificem (quod nemo dixerit, nisi temere) profecto vi-

(1) Nec aliter cogitari, vel dici potest de tanto Pontifice, viro doctrina, et virtute præstantissimo, ut ex Anastasio Bibliothecario èruitur, qui Gregorii II. laudes discribit his verbis: (Gregorius) *a parva ætate in Patriarchio nutritus fuit, sub sanctæ memoriæ Domno Sergio Papa Subdiaconus, atque Sacellarius factus; Bibliothecæ est illi cura commissa: deinde ad Diaconatus ordinem provectus est a sancto viro, vir castus; divinæ Scripturæ eruditus, facundus loquela, et constans animo, Ecclesiasticarum rerum defensor, et contrariarum fortissimus impugnator*.

des, non in doctrina tradenda, sed in agendi ratione forsitan, illum tantummodo hac in hypotesi defecisse. Error hic fuisset non doctrinæ, sed *conversationis*, ut Tertulliani verbis utar, qui idem de S. Petro Apostolorum Principe affirmat, ea in causa, qua reprehensus fuit a D. Paulo (1).

Res haç brevi analysi eo perducta est, ut, ni mei ipsius amor me decipit, hæc interpretatio a me proposita, et explanata, aliquo modo videatur posse probari. Huic interpretationi summi viri aliqua ex parte favent Sebastianus Berardi, Christianus Lupus, et Dominicus Cavallarius, quamvis eam tantummodo leviter attigerint. Etenim Sebastianus Berardi, absoluta jam sua, quam exposuimus interpretatione, ita subiungit: *Quod si quisquam adhuc severius hac in re agendum voluerit,*

(1) *Epist. ad Galat. c.* 2.

atque crediderit Gregorium II. hac in specie nonnihil indulsisse Germanis, non probando, laudandove, sed potius permittendo, ne forte alias gravissima mala emergerent; is sane de Sancto Pontifice, eiusdemque sententia æquius, et convenientius disseret, quam disseruerit Gratianus, quasi hac in parte Gregorius imitatus fuerit Moysen, dum veteribus Judæis libellum repudii uxori porrigi permisit, quod et aliquando factum a viris Ecclesiasticis refert Origines. Christianus Lupus autem, vir Ecclesiastica eruditione, et doctrina præstantissimus, in dissertatione *de opinione probabili* (1), probat, Romanos Pontifices sua quandoque rescripta formasse ex probabilibus sententiis; et deinde secundo loco exemplum profert Gregorii II. in canone *Quod proposuisti*,

(1) *Cap. 2. Tom. XI.*

his verbis: *secundum* HUIUSMODI *rescriptum habemus a Sancto Gregorio secundo Pontifice ad nostrum Apostolum, ac Martyrem Bonifacium* QUOD PROPOSUISTI ec. Demum Dominicus Cavallarius hæc ad rem nostram dicit (1): *Et profecto Gregorius Papa II., seu potius III. de muliere, quæ infirmitate correpta, non amplius viro suo commisceri poterat, respondit Bonifacio Episcopo Moguntino ex tum recepta in Ecclesia Romana doctrina, secundum quam Bonifacius Pontificem consuluerat, bonum quidem esse si maritus cœlebs viveret, sed* ec. et paulo post addit: *at satius est dicere, multas olim Ecclesias divortia, et novas nuptias ob varias causas concessisse, quod putarent, ea Evangelio non adversari.* Quæ Cavallarii verba, etsi nobis fave-

(2) *Instit. Canon. Tom.* 3. *part.* 2. *Cap.* 30. §. 8.

ant, nonnullis tamen, quae minime sunt approbanda vitiis laborant. Nam certe probari nequit, quod affirmat Cavallarius, doctrinam eiusmodi iis temporibus fuisse in Romana Ecclesia receptam. Equidem verum est, Pœnitentiale Romanum canones habere illis Theodori Cantuariensis plane similes; attamen concludi minime potest, hanc fuisse eiusdem Ecclesiæ, Romanorumque Pontificum doctrinam, et disciplinam. Romana enim Ecclesia veritatem tenuit semper, et docuit (1). Nec recte

(1) Pœnitentiale Romanum non ita appellatum est, quod Romanæ Ecclesiæ doctrinam, vel disciplinam contineat. Antonius Augustinus in sua præfatione ad idem Pænitentiale Tom III. suorum operum edit. Lucæ pag. 253. sic loquitur: *Hunc librum in Michaelis Thomasi Ilardensis Episcopi bibliotheca inveni, sine scriptoris, aut libri inscriptione, quam non inutilem esse iudicavi, et Romanum appellavi, quod ex ea Urbe ad nostras manus venerit*. Deinde pag. 254. subdit: *Accidit autem sæpe,*

etiam affirmavit Cavallarius in notis ad *Compendium Institutionum juris canonici* (1), Gregorium II. respondisse, *licere viro alteram ducere, si uxor infirmitate correpta matrimonio inepta evaderet*. Non enim dixit Pontifex hoc in canone, licere viro in proposita specie aliam ducere uxorem. Nullibi hæc leguntur, sed potius contrariam doctrinam exposuit illis verbis, *bonum esset si sic permaneret*. Quod si postea secundo nubere sinit, ex indulgentia factum est.

ut falsæ sint apud Gratianum inscriptiones singulorum capitum; quod etiam in nostro Pænitentiale Romano evenit: ita fit, ut ne illa quidem capita vim legis obtineant, quæ dicuntur esse sumpta ex Romanorum Pontificum, aut ex Generalium Conciliorum decretis; sed necesse est adire fontes, unde emanarunt.

(1) *Tom. 1. Cap.* 23. *de divortiis* §. 3.

§. V.

In Van-Espenium animadversiones.

His omnibus, quæ hactenus dicta sunt propositis, quis ferat Van-Espenium, virum alioquin præstantissimum, et juris Canonici peritissimum, qui ex hoc canone a nobis exposito concludit (1) Romani Pontificis in Fidei doctrina, et controversiis definiendis fallibile judicium? Suamque firmat conclusionem primo quidem, ex eo quod Gratianus putaverit, Gregorii responsum fuisse Evangelio contrarium, nec non alii, qui Gratianum sequuti sunt: deinde vero, quod hic canon *ex Cathedra*, ut nunc loquimur, prolatus est; et nihilominus errorem habet in Fide.

(1) *Part.* 5. *pag.* 312. *Lovanii* 1732. *in commentar. ad* II. *Part. Gratiani Caus.* 32. *qu.* 7.

At hæc, quæ affirmat vir clarissimus, sunt ne alicuius momenti ad suam comprobandam sententiam? Minime quidem.

Gratianus, ait Van-Espenius, nunquam dubitavit Gregorium in canone *Quod proposuisti*, ab Evangelica veritate discessisse, proindeque manifeste veluti certum ponit, Pontifices in suis decretis circa fidem errare posse; idemque se adnotasse dicit doctissimus auctor in canone *Si Papa* (1), cum in iisdem commentariis de eo loqueretur. En primum Espenii argumentum; cui paucis respondere lubet. Sciunt omnes in quot, et gravissimos errores lapsus sit Gratianus, idque probatione non indiget, cum hoc luculenter probent plures, quæ a doctissimis viris in lucem editæ sunt Gratianei Decreti emendationes. Quanti ergo est Gratiani auctoritas? Nil magis quam privati doctoris

(1) *Dist.* 40.

opinio, qui in plures etiam, gravesque incidit errores, non critices modo, sed etiam doctrinæ. Nec ullam Gratiani Decreto auctoritatem adiunxit Sedes Apostolica, etiam addita Romanorum Correctorum opera, et labore. Forsitan Espenius nesciebat, quam parvi esset facienda Gratiani auctoritas? Nullo modo. Quoties enim in suis operibus, et in eodem Commentario in eiusdem canones carpit, et vehementer reprehendit Gratianum? Et hoc in loco paulo ante nonne ipse dixerat: *retrictio a Gratiano adducta falsa est, et inepta?* Cum autem Apostolicæ Sedis Gratianus favet auctoritati, nonne eum injuriis lacessit quam sæpissime? Videsis exemplum. *Quantumvis autem Gratianus* (sunt eius verba) *hac distinctione omnia etiam apocrypha, et ad alium sensum detorta impenderit, ad adstruendam, et amplificandam auctoritatem decretalium, et decreto-*

rum sedis Apostolicæ ec. (1). Tanti ergo facit Gratiani opinionem Espenius, adversus Pontificis auctoritatem, eamdem autem aspernatur, et respuit, cum Sedis Apostolicæ studet decretis, et tueri conatur? Oh utinam sibi conveniens fuisset Van-Espenius, et a studio partium alienus! Gratianus autem cum scripsit, Gregorii II. responsum adversari Evangelio, non ad illius tempora animum intendit, sed suæ ætatis rationem tantum habuit, judiciumque tulit; quod Cavallarius etiam advertit (2): *Etsi Gratianus Gregorii sententiam veluti sacris canonibus, imo et Evangelicæ, et Apostolicæ doctrinæ penitus adversam traduxit, negotium istud potius ex sui temporis doctrina, quam ex antiquis moribus videtur æstimasse.*

(1) *Commentar. ad Gratian. Part.* 1. *dist.* 19 § *Quantumvis.*

(2) *L. c.* §. 8.

Nec aliter dicendum de glossographo, aliisque veteribus canonistis, quos nominat Espenius, qui attente non perpendentes canonis vim, Gratianum inconsulto sequuti sunt; ideoque ne eorum quidem magni facienda opinio. Tandem animadvertere fas est, Gratianum hunc canonem in suo Decreto a verbis disiunctum retulisse, quæ in epistola Gregorii legebantur, et eo sane modo, quo eumdem in aliis collectionibus invenerat; proindeque affirmari non potest, Gratianum putasse, Pontificem in solemnibus judiciis esse fallibilem; sed fortasse tantum in responsionibus aliquando singulis personis particularibus in rebus datis. Nec enim legerat epistolæ Gregorii verba ad Bonifacium interrogantem *quid teneat sancta Romana Ecclesia*; ex quibus Espenius colligi posse existimat, (sed falso, ut infra videbimus) Gregorium *ex Cathedra*, ut aiunt, loquutum fuis-

se, et errasse in fide. Quid autem refert Gratianum, etiam aliis in locis, et præcipue in canone *Si Papa*, in eadem se esse sententia ostendisse, ut contendit Van-Espenius? Sic habeto. Idem, quod supra diximus affirmandum. At quoniam laudatus Interpres canonem *Si Papa*, ad suam confirmandam opinionem proponere minime dubitat, et de hoc nunc dicere pauca mihi liceat.

Incertus huius canonis auctor est, ut ipse fatetur Espenius. Gratianus ex dictis Bonifacii Martyris haberi illum affirmat; Ivo autem Carnotensis ex gestis illius. Sed Antonius Augustinus asserit, ex his neutrum ab ipso potuisse unquam reperiri. Naucleri auctoritatem referunt Correctores Romani; deinde nominant Cardinalem *Deus-dedit*, cuius proferunt verba ad hunc canonem spectantia, e suis quatuor libris de rebus Ecclesiasticis, qui in Vaticana Bibliotheca servantur excerpta. Sed

Nauclerum vixisse septem circiter sæcula post Bonifacii mortem certum est. Cardinalis autem *Deus-dedit* suum post duo, vel amplius sæcula opus conscripsit. Quis igitur non videt nullius momenti esse huius canonis auctoritatem, cum etiam quis sit eiusdem auctor ignoretur? At sit Bonifacii. Est ne plurimi æstimandum unius dictum præsertim in iis, quæ communi Theologorum doctrinæ adversantur? At forsitan, tamquam minime contemnendum antiquitatis monumentum habes. Quid ergo? Ne tibi sit grave canonis verba legere: *Huius* (scilicet Pontificis) *culpas isthic redarguere præsumit mortalium nullus, quia cunctos ipse judicaturus a nemine est judicandus, nisi deprehendatur a fide devius*. Quid Van-Espenius? Hunc canonem non esse authenticum quidem fatetur, tamen ex eo concludit, ea, in qua canon fuit conscriptus ætate non dubitari, *quin Pa-*

pa deprehendi posset a fide devius, *atque eo casu posset ab aliquo judicari*. En profecto egregiam ratiocinandi methodum! Ex uno singularis scriptoris dicto, deduces ne, quod generatim illa ætate, eo cæteri opinarentur modo, quo huius canonis scriptor? Ex hoc canone colligi non inficior, posse Romanum Pontificem deprehendi a fide devium. Sed quid prohibet, quominus intelligamus de Pontifice, ut persona privata, non vero ut omnes Christifideles doctrinam de fide credendam docente? Poterit ne quis ex huius canonis verbis contrarium ostendere? Nonne affirmari etiam posset, canonem ipsum interpretandum aliter, quam solet a multis? Integer legendus est locus: sed hic nonnulla, quæ ante jam relati canonis verba leguntur, ut clarius id percipiatur, referam: *Sancta Romana Ecclesia privilegio specialis auctoritatis divinitus, et humanitus caput om-*

nium Ecclesiarum post Christum Jesum effecta est .... Et tanta reverentia apicem præfatæ Apostolicæ Sedis omnes suspiciunt ..... illius velle, illius nolle tantum explorant, ut ad eius arbitrium suam conversationem et ipsi remittant, aut intendant (1). Quid præstantius, quid dignius ad explicandam auctoritatem Apostolicæ Sedis? Tam præclare dictis congruit ne Van-Espenii interpretatio? Satius certe est dicere, illa verba canonis, *nisi deprehendatur a fide devius*, coniungenda cum aliis, *huius culpas redarguere præsumit mortalium nullus*; non vero cum illis, *quia cunctos judicaturus a nemine est judicandus.* Hæc enim causam indicant tantummodo, cur Pontificis culpas redarguere præsumat nullus, præterquam

(1) *Apud Roman. Corrector. ad hunc canonem.*

cum deprehenditur a fide devius; tunc autem non judicandus dicitur, sed redarguendus. Et sane ipse Paulus IV. in Bulla *Cum ex Apostolatus officio*, ita intellexisse videtur, cum ad illum canonem respiciens inquit: *Papa omnes judicat, a nemine in hoc mundo judicandus, potest, si deprehendatur a fide divius* REDARGUI. Redargui dixit, non judicari. Tandem Van-Espenii interpretatio, qua contendit ex canone *Si Papa*, Pontificem, cum deprehenditur a fide devius, posse ab aliquo judicari, nimis certe probaret. Si enim tunc ab aliquo judicari potest Pontifex, consequi videtur, singularem etiam hominem posse Pontificem errantem judicare; quod est a veritate omnino discrepans, et absurdum. At de hoc satis obiter dictum sit. Nunc unde orta est oratio, illuc revertamur; et alterum Van-Espenii argumentum, quod contra Pontificis infallibilitatem colligit ex canone

Quod proposuisti, ad trutinam revocemus.

Exposcit Bonifacius a Pontifice (ait ille) ut ei respondeat, *qualiter teneat, vel doceat Sancta Apostolica Romana Ecclesia*; et Gregorius Bonifacio rescribit, *non ex nobis, quasi ex nobis, sed eius gratia, qui aperit os mutorum, et linguas infantium facit disertas* (idest non naturæ viribus, sed Dei auxilio innixi) *qualiter tenere debeas Apostolici vigoris doctrinam dicimus*. Ex quibus verbis deducit Van-Espenius, Gregorium respondisse Bonifacio, non ut privatam personam, sed ut Pontificem *ex Cathedra* loquentem; additque, hanc distinctionem nec a Gratiano, nec a cæteris antiquis Theologis, et Canonistis fuisse usurpatam; sed recens inventam ad Pontificiam infallibilitatem adstruendam, et tandem concludit, Pontificem etiam docentem *ex Cathedra* pos-

se errare in fide, quia Gregorius Pontifex sic erravit. Hæc tamen omnia sunt penitus improbanda.

Et revera hoc Gregorii responsum *ex Cathedra* prolatum non fuisse, ut vocabulum istud intelligitur a Theologis, qui stant pro infallibili judicio Romani Pontificis, ex eo satis patet, quod tunc quærebatur. Quomodo enim se gerere deberet iis in rebus, quæ circa statum suæ particularis Ecclesiæ acciderant, Bonifacius a Pontifice postulabat. Id manifeste eruitur ex iisdem verbis literarum Pontificis ad Bonifacium, *consulenti tibi de statu Ecclesiæ*, et ex aliis, *qualiter tenere debeas*. Jam vero ab iis, qui Pontificiæ infallibilitatis doctrinam tenent, tunc tantum *ex Cathedra* loqui Pontificem asseritur, cum, quæ circa fidem sunt, omnibus ipse fidelibus credenda proponit. (1) Si ergo

(1) Aliquod Pontificium decretum tunc

Pontificis responsum hoc sensu *ex Cathedra* foret, omnibus fuisset a Gregorio propositum, nec tantummodo ad Germanicæ Ecclesiæ illius temporis statum respexisset. Immerito autem vir doctissimus distinctionem rejicit Pontificis *ex Cathedra* loquentis, eo quod antiquis est ignota temporibus. Nil vetat enim ignota vocabula, et novas di-

esse dogmaticum, infallibile, et *ex Cathedra* dictum, docent Theologi, cum 1. vel anathema intorquetur in eos, qui contra id, quod est fide credendum sentiant, vel dixerint: 2. aut hi tanquam hæretici habendi esse dicuntur: 3. vel si talis definitio ab omnibus fidelibus accipienda, et credenda, veluti dogma fidei expresse proponitur. Quam longe igitur absit a dogmatica definitione decretalis epistola Gregorii II. ad Bonifacium, non est qui non videat; et patet, rem totam ad agendi rationem tantummodo esse referendam. Probant vero Theologi, eas solum esse fidei definitiones, in quibus certis quibusdam verbis, vel formulis Summi Judices in Ecclesia expresse dicunt se declarare doctrinam fidei.

stinctiones excogitare, ut vetus doctrina clarius demonstretur, et pateat. Scientiæ omnes proprias habent voces, quæ sæpe immutantur cum opus est; neque id scientiæ divinarum rerum pernegandum. Cum dicas *nove*, ne dicas *nova*, ajebat Vincentius Lirinensis in suo Commonitorio (1). Ad Sabelli errores refellendos, qui trium divinarum personarum veram distinctionem negabat, vocabula *trium hypostaseon* inventa sunt. *Formæ*, *et materiæ* voces a Peripatetica philosophia desumptæ ad significandum res, et verba, quibus in Sacramentis utimur conficiendis, ab Ecclesia antiquitus ignorabantur. Idem dicendum de vocabulis *ex opere operato, et ex opere operantis*, recens inventis ad ætatem D. Thomæ Aquinatis. Attamen doctrina, quæ his novis vocabulis declaratur est antiqua, et

(1) *Part.* 1 *Cap.* 27.

in divina revelatione continetur. Quot similia exempla possent a nobis in medium proferri? Nova est itaque, non inficior, distinctio Pontificis docentis *ex Cathedra*; sed minime nova dicenda est doctrina, quæ hoc vocabulo comprehenditur, imo antiquissima, et a Sacris Scripturis, et Patrum traditione petita, ut Theologi ostendunt. Prius fuit doctrina, deinde facta distinctio. Tantum a veritate abest, hanc distinctionem fuisse adinventam ad statuendam, confirmandamque infallibilitatem Romani Pontificis! Quod falso affirmat Van-Espenius.

Fallitur tandem gravissime cum docet, Gregorium II. in fide errasse, adeoque Pontifices esse fallibiles in fidei doctrina tradenda. Nos enim abunde hucusque demonstravimus, hunc Pontificem, in suo ad Bonifacium responso, fuisse ab omni erroris vitio vacuum(1).

(1) Omittendum hic minime est, Bossue-

Quidquid igitur Van-Espenius dixit in huius canonis *Quod proposuisti* commentario adversus Romanorum Pon-

tum, vel potius auctorem, quisquis ille sit, *Defensionis declarationis Cleri Gallicani,* quod opus supra citavimus, affirmasse, Gregorium hoc in canone novum permisisse coniugium, idque manifeste pugnare cum Christi sententia, *quod Deus coniunxit homo non separet*; neque respondisse *pro privato Doctore*, cum memorat *ex Apostolicae Sedis vigore* id fecisse. Quid sit respondendum, patet ex dictis. Gregorium non errasse jam vidimus; et Bossuetus ipse, in citato opere contra Basnagium, id constanter affirmat: et quamvis diceret ut Pontifex, tamen non ita respondisse Gregorium, ut *ex Cathedra* eum locutum fuisse intelligatur in sensu Theologorum, qui Pontificis infallibilitatem docent, explicatum est jam satis. Attamen velim animadvertas, ea verba *per Beatum Petrum, a quo et Apostolatus, et Episcopatus principium extitit*, quæ auctor *defensionis Declarationis* ponit statim post illa, *Apostolici vigoris doctrinam*, sunt omnino seiungenda; aliter enim apud Baronium (*Annal. Ecclesiast. ad an.* 726. *Tom.* 12. *pag.* 364. *edit. Lucæ* 1742.) reperiuntur disposita, nempe: *Bene nostis satis*;

tificum infallibile judicium, nullius esse momenti, unicuique cordato viro patet, ut mihi videtur, luculentissime.

quia Beatus Petrus Apostolatus, et Episcopatus principium extitit. Deinde inquit: *et consulenti tibi de statu Ecclesiæ, non ex nobis, quasi ex nobis, sed eius gratia, qui aperit os mutorum, et linguas infantium facit disertas, qualiter tenere debeas, Apostolici vigoris doctrinam dicimus*. Loquitur de Dei auxilio, et gratia, quam necessariam agnoscit, ut Bonifacio recte respondeat *ex Apostolici Sedis vigore*; ad Divi Pauli verba (2. *ad Corinth* 3. 5.) respiciens: *non sumus sufficientes cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est.*

CONCLUSIO

Huius canonis, qui et verborum qua cogitur dispositione, et Bonifacii literarum interitu tenebris obsitus sapientissimis etiam viris semper visus est, plures jam tradidimus interpretationes. Quibus ex rebus diligenter disputatis, illud facile intelligi potest, et jure merito asserimus, ad quamvis ex iis te pertrahat animus, in omnibus Gregorium II. minime inveniri obnoxium errori. Vel tantum sponsaliorum causam eo loci lubeat intueri, vel uxorem ante nuptias corporis vitio ad rem conjugalem ineptam dixeris, quæ est doctissimorum hominum non improbanda sententia, sane compertum habemus, Pontificem dixisse, quod semper dixit Ecclesia. Vel rati matrimonii vinculum tantum consideres, non dubium, quin potuisset Pontifex illud relaxare, ut sæ-

pius Pontifices ea relaxasse vincula testantur historiæ. Vel clarissimi Berardi sententiam sequi velimus, quam de legitimis profert nuptiis, ab iis barbaris adhuc infidelibus initis, et ex naturæ legibus regendis, eo quod illæ aliquando solutioni consentiant; Pontifex, ut naturalis juris interpres potuit declarare, imo etiam, quod probabiliter dicitur, forsitan dispensare in hoc infidelium etiam consummato conjugio. Vel demum si indulgentiæ potius ratio, de qua accurate diximus, adeo menti suadeat, ut illa usum Pontificem credas, quod Germaniæ populi, ut tunc eorum erat naturæ infirmitas, morum corruptio, et cultus defectus, quam mitissime essent habendi; eadem semper sunt quæ consequuntur. Nam cum nil Pontifex *ex Cathedra* definisset, uti jam demonstratum est, sed in illa præcipue, de qua agebatur specie, practicam tantummodo tradidisset regulam, cui si-

milem, et consonam aliqui Ecclesiæ viri doctrina præstantes tradiderant, nullo jure affirmari potest, quod *ex Cathedra* contra fidem docuerit, cum potius vere dixerit, prudenterque. Si vero hanc Pontificis indulgentiam auderet quis improbare, attento ipse animo cogitet, non de doctrina tunc agi, sed de agendi ratione, quæ nonnisi temere a privato homine in Summo Pontifice reprehenditur. A vero itaque judicio aberrant, qui dictitarunt, inferri ex canone *Quod proposuisti*, posse Pontificem in definiendis fidei controversiis a veritate deflectere.

Hæc diximus ad hujus canonis, quam aggressi sumus, et jam absolvimus interpretationem. Ex quibus plane constat, quam caute animus sit adjungendus, ad eorum canonum intelligentiam, qui maxima difficultate laborant; et quam male se gerant ii, imo, quam graviter errent, qui non ea præditi, qua

opus est ingenii vi, atque doctrina, et sano destituti judicio, nec ullam temporum, et locorum rationem habentes, vel, quod in peius ruit, quorum mentes perversis consiliis, et partium studiis hallucinantur, ad sacros canones interpretandos inconsulte accedunt, Ecclesiæ leges eorum opinioni temere subjicientes, non legibus opinionem.

FINIS